



## Universitätsbibliothek Paderborn


**Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis  
Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

**Visch, Charles de**

**Coloniæ Agrippinæ, 1656**

Admodvm Reverendo, Amplissimoqve Domino, Domino Gerardo De Bare,  
Clarissimi Caenobii Beatæ Mariæ De Dvnis, Ordinis Cisterciensis Abbati  
Dignissimo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38433**



C. Vlck  
doff  
cipio  
ster  
S 11  
23

ADMODVM REVERENDO,  
AMPLISSIMOQUE DOMINO,  
**DOMINO GERARDO**  
DE BARE,  
**CLARISSIMI CAENOBII**  
BEATÆ MARIAE DE DVNIS,  
ORDINIS CISTERCIENSIS  
ABBATI DIGNISSIMO.

Vñlicaui, iam à sexennio (*Adm. Reuerende,  
Amplissimeque Domine*) Bibliothecam  
Scriptorum Sacri Ordinis nostri, varijs  
elogijs ornatam, quæ tanto cum plausu ab  
vnuerso Ordine excepta fuit, ut distractis  
(intra paucos annos) omnibus exemplari-  
bus, vndique nouæ editio desiderata fuerit:  
hinc plures Ordinis Abbates, alijque Viri doctrinâ, pietate, ac  
etiam ecclesiastica dignitate clarissimi (præsertim ex Italiâ &  
Gallia)



## EPISTOLA

Gallia) transmissis ad me pluribus adhuc illustribus Scriptori-  
bus priori Bibliothecæ incognitis, instanter secundā editionē  
expetierunt; vt plenius, hinc, omnibus innotescat, quomodo  
Cisterciensis Ordinis Professores omni tempore, non solum  
vitæ sanctimonia, verum etiam doctrina & scriptis Ecclesiam  
egregiè illustrauerint, & propugnauerint; insuperque ipsius  
Ordinis Religiosi considerantes tot prædecessores suos litte-  
rarijs monumentis diuinum honorem ampliando, Ordinem-  
que suum illustrando, immortalia nomina promeritos esse;  
ipsi quoque ad Studiorum amorem inflammentur: quæ reue-  
rà (experientia quotidiana demonstrante) omnibus Religio-  
sis pietatem & perfectionem sicutientibus, intantum necessaria  
sunt, vt in Congregationibus vbi hæc desunt, necesse sit pie-  
tatem omnem interire, Religionem extingui, spiritualia pro  
temporalibus commutari, ac tandem, pro terra cælum dimit-  
ti: his, alijsque authoritatibus & rationibus libenter acquies-  
cens, primum opus recognoscens, in multis correxi, ac poste à  
notabiliter auctum (accessione præsertim aliquot breuum  
tractatum diuersorum antiquorum Patrum Ordinis no-  
stri) præli beneficio in Orbem emittere decreui. At non nisi  
sub nominis & fauoris vestri patrocinio (*Adm. Reuerende  
Domine*) cui vni, post Deum, vniuersi labores mei ultrò de-  
seruire debent; vt potè, quem nuper concordibus votis, actio-  
num nostrarum Præsidem, & animarum Rectorem Dunen-  
ses omnes elegimus, vt turbatissimis hisce temporibus, nu-  
merosam

## DEDICATORIA.

merosam congregationem nostram generosè sustentes, & fortissimis exemplis ad perfectionis metam protrahas. Accipe itaque, bonique consule (*Religiosissime Pater*) hoc aliquale Filialis obseruantiae monumentum, & deuotæ mentis obsequium, illudque solitâ benignitate defende, quatenus clarissimi nominis tui sydere illustratum, authoritatisque clypeo protectum, præcipitem Momorum garrulitatem, mordacesque Zoilorum dentes contemnendo, facilius euadat. Quo fiet ut animos addas, ad feruentius adhuc Deum Optim. Max. orandum, vt *Reuerendam Adm. Dominationem Vestram* in arduâ negotiorum suorum mole, summo Communitatis nostræ bono gnauiter desudantem, faustè ac feliciter in omnibus dirigat, & longissimis annis in columnen tueatur.

Brugis, ex Monasterio  
Vestro de Dunis,  
20. Maij, 1655.

Admodum Reuerendæ, Dominationis  
Vestræ humillimus in Christo  
Filius

CAROLVS DE VISCH,  
Religiosus & Prior Dunensis.

LEC-